



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 210. Pœnitentiam ab uno Confessario impositam alius Confessarius
mutare non potest, nisi causâ cognitâ, & graves ob causas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

claudit: vide ergo, quicumque iudicis secundum caput tuum, injungendo pœnitentiæ, non taxatis circumstantiis, quia in magno periculo es, decipiens te & pœnitentem, si arbitraris aliter pœnitentiã, quam Spiritus sanctus dicitur, illi pœnitentiã imponendam.

2599 Pœnitentiæ sunt quidem arbitrariæ, hoc sensu, quod juxta veteris Ecclesiæ disciplinam non sunt necessariò imponendæ; non sic tamen ut Sacerdos eas imponere possit secundum beneplacitum suum, sed secundum placitum Dei, regulatque justæ discretionis; in totum non abjiciendo veteris Ecclesiæ rigorem, sed ad eum, quoad fieri potest, accedendo, spectatâ gravitate criminum, & facultate pœnitentium.

CAPUT CCX.

Pœnitentiã ab uno Confessario impostã aliis Confessariis mutare non potest, nisi causã cognitã, & graves ob causas.

2600 **R**atio sumitur ex Tridentino sess. 14. c. 5. quia constat, Sacerdotes iudiciam hoc, incognitã causã, exercere non posse, neque æquitate in pœnis injungendis, vel moderandis, aut commutandis servare. Usus tamen & praxis Ecclesiæ hanc Confessariis potestatem tribuit, dummodò discretè, causã cognitã, justamque ob causã id fiat. Ita S. Raymundus lib. 3. §. 66. & S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 15. Quia plerumque id expedit animarum salutem, pro qua Sacramentum est institutum.

Nec tamen id extra Sacramentum fieri debet, sed in Sacramento. Cùm sit actus iudicii sacramentalis, seu jurisdictionis clavium ligandi & solvendi, quæ non nisi in Sacramento exercetur.

2601 Nec ideo par in parem exercet imperium, sed in subditum, seu pœnitentem, secundo Confessario iteratã priori confessione se subjicientem. Nulla proinde hic intervenit appellatio, sed iterata dumtaxat causæ subiectio, facta æquali Judici, eandem habenti potestatem moderandi, vel commutandi, quam primus Confessarius habuit. Nisi pœnitentiã imposta fuerit ob peccata reservata. Quo casu ab eo solo moderari commutativè potest, qui in reservata habet potestatem.

2602 Ipse tamen pœnitens non potest eam in aliam, licet majorem, propriã mutare autoritate. Cùm propriã autoritate solvere nequeat vinculum, quo ligatus est per legitimum Judicem.

Similiter propriã autoritate substituere sibi alium non potest, qui pœnitentiã (v. g. peregrinationem) loco suo adimpleat, sed eam personaliter adimplere debet, ut declaravit Alexander VII. in damnatione propositionis 15. inter 45.

CAPUT CCXI.

Pœnitentiã imponenda est per modum præcepti, non ex toto per modum consilii.

2603 **Q**uia imponenda est ex potestate ligandi. Qui autem nihil præcipit, sed solum consulit, non ligat.

2604 Pars tamen pœnitentiæ consultivè imponi potest, vel disjunctivè injungi, dicendo v. g. fac hoc, si potes; si non potes, facias istud. Sic enim Sacerdos adhuc ligat ad alterutrum. Ita S. Thomas quodlib. 3. q. 13. art. 1. ubi etiam docet, quod opus quod quis facit ex intentione Sacerdotis, dupliciter valet pœnitenti. Uno modo ex natura operis. Alio modo ex vi clavium. Cùm enim satisfactio, à Sacerdote absolvente injuncta, sit pars pœnitentiæ, manifestum est quid in ea operatur vis clavium, ita quãdã amplius valet ad exemptan.

Tom. III.

dam peccatum, quàm si propria arbitrio homo faceret idem opus.

Unde concludit, utilissimum esse & expediens, quod Sacerdos, post injunctam pœnitentiã, datamque absolutionem, dicat pœnitenti: quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, &c. quodque hæc omnia ipsi pro pœnitentiã injungat. Quia hæc omnia quæ per injunctiõnem expressam facit (pœnitens) accipiunt majorem vim ex illa generali injunctiõne, tamen indeterminata. Ita etiam S. Raymundus apud Nicolaum de Ainsio in Supplemento Pisanellæ verbo pœnitentiã 2. S. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 20. ante §. 1. S. Vincentius Ferrerius Dominic. 15. serm. 2. §. quantum ad quartum. Joannes de Burgo in Pupill. ocul. c. 10.

Utilissimum quoque erit pœnitentem hortari, ut quotidie, & frequentius aeterno Patri maxima cum fiducia pro peccatis suis offerat Unigeniti sui passionem, pretiosumque sanguinem, in eoque se fordesque suas laver, atque inde speret supplementum ejus quod deest suæ imperfectiõni atque infirmitati. Est enim modus optimus evitandi purgatorium, vel saltem longissimum acerbissimumque purgatorium in brevem & levem commutandi, ut Christus revelavit S. Gertrudi, & S. Mechthildi, & B. Henrico Sufoni, prout videre est in ejus vita c. 42. & in vita S. Gertrudis l. 3. c. 18. & S. Mechthildis l. 1. c. 17. 18. 30. l. 3. c. 14. l. 4. c. 21. &c. Videri potest etiam Ludolphus de Saxonia in vita Christi p. 2. c. 58. Lansbergius l. 2. alloquiorum Jesu Christi ad animam fidelem p. 1. c. 4. & 5. Blofius in Farrag. utilit. institut. tit. hæc sunt notatu digna. Neenon in Specul. spirit. c. 7. & 9. Et lib. 2. Enchirid. parvul. in Append. docum. 3.

Addit Albertus Magnus, devotam & quotidianam Dominicæ Passionis recordationem, cum simplici humilique corde, fiducia in meritis illius, oblatione pro peccatis, gratiarum actione, & imitationis proposito conjunctam, plus homini valere, quàm totius anni jejuniũ in pane & aqua, vel quotidianam flagellationem, etiam usque ad sanguinis effusionem.

Idem censo de eo, qui quælibet adversa, tamquam justè à Domino immissa, cum Job benedicendo suscipit; quælibet etiam injurias, & offensas sibi illatas ex animo dimittit, omnesque afflictiones istas aeterno Patri quotidie offert in unione injuriarum & passionum, quas Christus sustinuit, gaudens sibi suppeterè occasionem sic Christo compatiendi. Sicut & de eo, qui miseris proximi ex animo compatitur, & ut potest, charitative succurrit, ex affectu in eo imitandi charitatem & misericordiam Christi. Teste namque Evangelio, talem erga se sentiet Deum, qualem se exhibuerit erga proximum. Nec dubito, quin proximè dictis exercitiis, simul sumptis, peccator, etiam enormis, pœnarum omnium quas promeruit, etiam absque gravi suæ carnis maceratione, remissionem aliquando obtinere possit.

CAPUT CCXII.

In pœnitentiã imponi potest opus aliã præceptum. Etiam oratio, elemosina, &c. pro defunctis.

2605 **R**atio prioris partis est, quia opus non deficit esse pœnale & satisfactorium, ex eo quod sit præceptum. Ad illudque pœnitens duplici præcepto obligari potest, Ecclesiæ v. g. & Confessarii. Qui tamen censetur præscribere aliud jejuniũ, quàm aliã præceptum, dum simpliciter præscribit jejuniũ, illud non determinando ad diem quo aliunde est præceptum.

Ffff 2